

# MELISSA



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## *Melissa vobis omnia quaeque fausta felicia exoptat !*

- |   |         |
|---|---------|
| ... mox novum millennium                          | ☞ p. 2  |
| ... historia architecturae Mahumetanae            | ☞ p. 3  |
| ... Musa Latina                                   | ☞ p. 5  |
| ... praegustatio iucundae fabulae                 | ☞ p. 6  |
| ... optimum exemplum didascalicum                 | ☞ p. 7  |
| ... historia venenorum                            | ☞ p. 10 |
| ... de extraordinario saeculo Caroli Quinti       | ☞ p. 13 |
| ... libri Latini proponuntur                      | ☞ p. 14 |
| ... atque iam nuntiantur anni proximi seminaria ! | ☞ p. 16 |



«Poculum theae»:

peripetasma Albuciense (Aubusson) saeculi XVIII, confectum e delineatione Francisci Boucher (1703-1770), qui pictor acceptissimus fuit tempore Ludovici XV.

# DE TERRORIBVS ANNI BISMILLESIMI

*Nemo scit quid serus vesper vehat.*

**F**ama fert homines in orbe Christiano annum millesimum perterritos vixisse. Anno bismillesimo ad finem vergente, quibus terroribus agitantur aequalium nostrorum mentes?

Tanti fuerunt post alterum bellum mundanum progressus scientiarum ad usum applicatarum, ut vita apud gentes occidentales commodissima et iucundissima fieri posse videretur. Inde beatitudo terrestris facta est scopus magis attractivus quam incerta beatitudo caelestis.

Communistae, ubi imperio potiti sunt, paradisum secundum suum dogma vi instituerunt. Effectus tamen proposito tam impares fuerunt, ut fere ubique regimen mutaretur et dogma aspernaretur.

Apud gentes ubi viget regimen, quod dicitur democraticum, politici intellexerunt paradisum terrestrem promittere ad suffragia captanda sibi maxime prodesse. Promittere tamen, si nihil suppeditat distribuendum, non sufficit; effectus a multitudine exspectantur.

Res mira, eventis demonstratum est eos, qui doctrinam liberalismi sequuntur, maximos fructus oeconomicos carpere. Quam ob rem omnes maioris momenti factiones politicae, volentes vel nolentes, liberalismo oeconomico favere debuerunt; inde fit ut programmata politica inter se vix differant, quorum summa nunc est: negotiis favere, unde res publica fructus capiat, et hos fructus callide distribuere in suum maximum emolumenntum.

Infeliciter in via beatitudinis surrexerunt inexpectata impedimenta.

Gaudebant populares nostri, quod sibi facultas dabatur plures res et magis varias consumendi. Reliquarum vero moles, cum celerius amplificetur quam ipsa rerum consumptio, impedit ne diutius crescat haec consumptio.

Gaudebant populares nostri, quod multi cibi olim rariores et cariores nunc suppeditabant et multo villore pretio venibant. Inopinanter nunc comperiunt quomodo hoc miraculum fiat. Animalia esculenta modo industriali tractantur atque magis magisque contra naturam aluntur. Nonne boves, quorum ruma herbae digerendae apta est, carnis pulvere aluntur? Sed hoc fit inscientibus fere omnibus civibus usque catastropham. Subito in lucem

editur carnis pulverem ad quaestum augendum etiam ex morbidis animalibus confici. Nunc spectrum encephalitidis spongiosae mentes perseguitur.

Gaudebant populares nostri, quod autocineta in initio rara et cara facta sunt omnibus accessibili. Fieri potuit ut fere unusquisque aequalium nostrorum mira facultate commode vehendi frueretur. Sed quo plura fiunt autocineta, eo restrictius eis uti licet.

Gaudebant populares nostri, quod omnes vitae necessitates multo leviores fiebant; motra in omnibus laboribus substituuntur viribus humanis. Electricitate modo quasi magico ubicumque fit lux, aguntur innumerabilia instrumenta, instituuntur commercia cum hominibus etiam remotissimis, etc.. Energia tamen necessaria ad haec miracula producenda maximam partem hauritur ex fomentis fossilibus, i.e. ex carbone, petroleo vel gaso naturali, quorum combustio gignit gasum dioxydum carbonicum ( $\text{CO}_2$ ). Infeliciter hoc gasum in atmosphaera habet effectum clausi vitrei, ut aiunt scientifici, quo fit ut temperatura in toto orbe terrarum augeatur, glacies in polis liqueflat et libra maris ascendet. Quid si mare decem metra vel, peius, centum metra ascenderit, quo facto magna terrarum pars submergatur?

Gaudebant populares nostri, quod tandem maxima licentia frui poterant in commerciis sexualibus. Sed iam obstat novus morbus, acquisitum immunitatis defectus syndroma a medicis vocatus, qui imprudentes crudelissime et insanabiliter insequitur.

Haec sunt nonnulla exempla terrorum nostri temporis. Unum addendum est maioris fortasse momenti.

Solum minori hominum parti in planeta nostro supradictas commoditates et lauitias accedere licet. Ceteri, qui plus minusve in egestate vivunt, fortunatis invident atque multi in eorum regiones magis ordinatas prosperasque migrare conantur: qualis animus gaudere potest in insula paradisiaca oceano infernali circumdata?

Paradisus terrestris manifesto non est beatiae vitae instrumentum... \*

Gaius LICOPPE




# DE MAHVMETANAЕ ARCHITECTVRAE

## ORIGINIBVS (V)

SCRIPSIT GAIVS LICOPPE

**C**ur meschita Damascena, saepius meschita Omeiadum vocata, formam singularem haberet, multum disputatum est inter historicos. Praeterea investigatio difficilior facta est propterea quod decursu saeculorum haec meschita multa damna passa est, quorum gravissimum fuit ingens incendium anno 1893 exortum.


*Tota fani area de caelo optime conspicitur.*

Una ex parte, hoc aedificium congruit cum necessitatibus cultus Mahumetani, quales in superiore symbolae parte patefecimus. Ex altera tamen parte vehementer redolet artem Byzantinam.


Huius meschitae singularitas partim pendet a singularitate ipsius loci. Damascus enim, quam Omeiades fecerant caput imperii Arabici, iam antiquitus continebat sacerrimum locum, ubi colebatur Hadad ethnicus deus tempestatis, quem Romani Iovi adsimulaverant.

Primo saeculo p.Ch.n. in hoc loco Romani aream sacram sive fanum (*τέμενος*) 157 metra longum et 97 metra latum stabiliter muniverunt. Fanum instar arcis cinxerunt alto crassoque muro lapideo. In singulis angulis huius quadrilaterae areae eminebat turris quadrata. Accessus in fanum dabatur per quattuor portas, quarum principalis ad orientem spectans tribus ostiis erat praedita atque propylo signata. Totum fanum porticu circumdabatur. Ipsum Iovis templi aedificium in medio erectum sine dubio erat splendidum; cuius infelicer nulla imago ad nos pervenit.

*Id quod adhuc superstes de propylo templi Iovis, a Romanis ante fani portam principalem instructo.*



Exeunte quarto saeculo, cum imperium Romanum factum esset Christianum, Theodosius (379-395) loco aedificii medii basilicam structuram Byzantinae curavit exstruendam. In fani peripheria nihil mutatum est; manserunt integrae et porticus et porta principalis cum propylo. Cuius basilicae Sancto Iohanni Baptista dicatae nullam habemus validam descriptionem. Scimus tamen eam fuisse unam ex maximis basilicis illius temporis; verisimiliter inter columnarum ordines erant quinque spatia.



*Haec pars porticus fano circumdatae integrum mansit qualis erat ante meschitae aedificationem.*



Postquam califa Omar (635-644) Damasco potitus est, quomodo Arabes Mahumetani basilicam tractaverint non certe scimus. Historiographi Arabes dicunt et Christianos et Mahumetanos cultum suum in fano celebravisse. Mahumetanorum tamen numerus celeriter crevit atque ineunte VIII saeculo califa al-Walid (705-715) totum fanum in splendidam meschitam transformare statuit, quam nobis adhuc licet admirari.

Etsi decursu saeculorum meschita magna detimenta passa est, supersunt tamen satis multae partes originales ut totam rem, qualis initio fuerit, nobis fingere possimus.

Aedificii pars tecta non exstructa est in media fani area, ut olim Iovis templum, sed iuxta murum lateris meridionalis, qui, cum ad Meccam spectet, vocatur «qibla». Qui murus alter est ex duobus longioribus areae fani. Qua de causa aedificium tectum multo longius est quam latum. Pars interior aedificii duabus antiquarum columnarum ordinibus ita divisa est in longitudinem, ut tria spatia hoc modo delimitata aspectum praebant Byzantinae basilicae. Hic tamen Mahumeti fideles se prosternant non secundum axem horum spatiorum, sed transverse, i.e. ad murum lateralem «qibla», ubi necessario instructa est aedicula «mirhab».



*In parte interiori meschitae sunt tria longitudinalia spatia duabus antiquarum columnarum ordinibus terminata.*

Propter aspectum basilicalem, columnas antiquas, capitella Corinthiaca et alia ornamenta artem Byzantinam redolentia, non pauci historici et archaeologi autumaverunt califam al-Walid basilicam Sancti Iohannis Baptistae re vera non delevisse, sed solum aptavisse novo cultui. Sententia tamen huius modi variis de causis est manca: numquam enim basilica Byzantina in margine areae sacrae aedificabatur, sed semper in medio. Praeterea aedificium ter semis longius quam latum non congruit cum solitis proportionibus basilicae Byzantinae. Denique


historiographi Arabes unanimi autumant califam al-Walid basilicam delevisse.

Quid ergo videtur factum esse? Califae architectus, qui nobis omnino ignotus est, idem videtur fecisse ac eius anterior collega, qui ad basilicam exstrenudam multas Iovis templi partes adhibuerat. Califae tamen architectus recuperatis basilicae copiis novam formam dedit, quo in opere mirum in modum successit.

Etsi huic meschitae quaedam similitudo est cum basilica, patent tamen magnae differentiae. Imprimis frons aedificii est in longo latere ad cavaedium spectanti. Media huius frontis pars sola praebet aspectum originalem; habet magnam portam cum tribus ostiis, qua accessus datur in spatium quod transverse dividit haec tria longitudinalia spatia aspectu basilicalia. In intima parte huius spatii instructa est aedicula «mirhab», ad quam diriguntur Mahumetanorum preces.

Exemplum ergo huius meschitae non fuit basilica. Aliud vero exemplum propositum est<sup>1</sup>, quod califae architectus, architecturae Byzantinae manifesto peritissimus, necessitatibus Mahumetanis fortasse aptavit. Mira enim similitudo exstat inter hanc singularem meschitam et genus aedificiorum Romanorum, quae vocantur principia.

Totius orbis Romani principia quam optime servata inveniuntur Palmyrae in Syria; pertinebant ad castra Diocletiani. Videamus ergo e quibus partibus constent haec principia. Per tres portas accessus datur in aream quadrilateram, cuius tria latera porticibus instruuntur. In quarto latere, altero ex duobus longioribus, erigitur frons tectae aedificii partis. Media in fronte patet magna porta. Ultra portam, spatium recte dicit ad absidem in intimo aedificio sitam; quod spatium etiam duo transversa et longiora spatia per medium dividit. Haec ergo structura valde similis est structurae meschitae Damascenae.




*Hoc delineamento nobis fingere possumus qualem aspectum habuerint principia Diocletiani Palmyrae.*



Aliam rem novam haec meschita contulit architecturae Mahumetanae. Ut supra dictum est, Romani in singulis angulis areae quadrangularis fani exstruxerant turrim quadratam. Christiani, cum basilicam aedificaverunt, has turrem transformaverunt in campanilia. Mahumetani in earum basibus prima minareta exstruxerunt.

Iam supra vidimus califas Omeiades conatos esse Syrios Christianos allicere ad cultum Mahumetanum. Huius consilii persequendi ibi praebebatur optima occasio. Nam in basilica Byzantina servabatur pyxis, qua continebatur caput Iohannis Baptiste. Cum hic sanctus etiam commemoraretur et laudaretur in Corano, ubi nominatur Yahya, eius reliquiae optime servatae et expositae sunt in nova meschita.

Id, quod aspectum Byzantium huic meschitae praesertim confert, est ornatus. Nam ubicumque aedificii, in porticibus, in fronte, in partibus interioribus, splendebant opera musiva, quorum maior pars decursu temporum infelicititer deleta est. Partes tamen, quae supersunt, sufficient ad iudicandum de eorum pristino splendore. Arabus historiographus Ibn Battuta narrat quomodo haec opera musiva effici potuerint: «Princeps credentium (Mahumetanorum) al-Walid imperatorem Constantinopolitanum rogavit, ut ad se artifices mitteret. Venerunt duodecim milia...» Byzantini ergo artifices in meschitae parietibus arte delicatissima illustraverunt paradisum, qualem Mahumetus suis fidelibus promittebat: «Deus credentibus, viris et feminis, hortos rivulis irrigatos promisit, ubi in aeternum manebunt. Habebunt



*Exemplum operum musivorum,  
quibus Mahumeti paradisus adumbratur.*

*deliciosas domos in hortis Eden» (Coranus, IX, 72). Quod somnium certe videbatur iucundum Arabibus ex aridis ferisque regionibus ortis.*

*(continuabitur)*

<sup>1</sup> «Influence de l'architecture classique sur l'architecture omeyyade en Syro-Palestine» (Corinne Licoppe, U.L.B. 1986).

## DUO CARMINA

AB ANNA ELISSA RADKE PACTA

### CARMEN CONSOLATORIUM

*Alano dedicatum*

Tristis et exsultans dimisit mater in orbem  
Filium amatum olim: partui inest obitus.  
Nunc tibi dimittenda tua est genetrix meliorem  
In mundum: ridere et lacrimare decet.  
Nam valedicendum est: sed lux aeterna orientur,  
ducitur ad caelum mater amata tua.



### VERTumnus et POMONA

*(Valahfrido et Soniae dedicatum, qui alternatim  
recitaverunt carmina Ausonii ad Bissulam inter  
Ludos Stutgardienses)*

Ergo tegis pellem Satyri mitramque Lyaei?  
Quam simulas speciem?  
O Vertumne induite toga lauroque decenter,  
mime, dabisne virum?  
Grammaticum Ausonium, furiose Valahfride amator  
dissimulansque senem  
Et Phoebum superans, egisti laude suprema et  
plausibus innumeris.  
Adfuit et Pomona tibi decorata venuste  
fructibus atque comis.  
Splenduit ingenium Vertumni, splenduit illa  
luce minore simul.

# BARONIS MYNCHVSANI MIRABILIA ITINERA

A NICOLAO GROSS IN LINGVAM LATINAM CONVERSA

## PRAEFATIO NARRATORIS

Hoc quidem constat nec ullo modo potest in dubium vocari: Baro de Mynchusa (i.e. Münchhausen), qui hoc in libro narrat de nonnullis periculis a se subitis, vere recteque vixit, idque ducentis fere annis ante. Qui in regione Brunsvicensi in lucem editus, praenomine Hieronymus, vix schola egressus factus est praefectus militum. Quod illo tempore solebat fieri de filiis nobilibus. Patres vivebant in praediis suis, ibant venatum, per campos equitabant, bibebant pentapoma rubrum, sinebant filios fieri praefectos. Patres cum consenuissent, filios revocabant. Deinde idem ibant venatum, equitabant per campos, bibebant pentapoma rubrum, filios sui ipsorum sinebant fieri praefectos. Quonam tempore haec facta sunt? Fuit illud tempus, quo imperatrix Maria Theresia in Austria, Fridericus Magnus in Borussia, Catharina Secunda in Russia imperaverunt. Cum bella fierent ubique et ubique essent exercitus, ubique necessarii erant praefecti.

Si propria in terra revera non siebat bellum, praefecti equitabant in aliam terram seque adscribabant eius exercitui. Hoc factum est de Hieronymo Mynchusano, qui propter molestiam temporis exercitui Russico asscriptus et in bello Russorum et Turcorum captus nonnullis demum annis post liberatus est. Postea a patre suo vetere revocatus est domum, ad Bodenverderianum praedium et castellum, ut Hieronymus fieret dominus praedii. Qui exuit vestem militarem, iit venatum, equitavit per campos, bibit pentapoma rubrum. Ceterum, cum filii ei non essent, non sivit filios fieri praefectos militum. Hac re excepta Mynchusanus vixit ita ut ceteri barones nihilque nos hodie sciremus de eo, nisi idem, cum pentapoma bibebat, narrasset narratiunculas perquam mirabiles. Tam mirabiles narratiunculas, ut ceteri barones, parochus, medicus, burgimagister, qui una cum eo ad mensam assidebant, eius verbis inhiarent. Narratiunculas tam mirabiles, ut ab aliquo clam scriberentur typisque mandarentur. Mynchusanus valde indignatus vetuit, ne narratiunculae suaem imprimenterentur. Cum hoc frustra fecisset, ira incensus mortuus est.

Quidnam tam mirabile est in eius narratiunculis? Quae sunt plenae mendaciorum

furiosissimorum! Cum refert de itineribus, quae revera fecit et de bellis, quorum revera fuit particeps, Mynchusanus nobis proponit mendacia tam ingentia, ut stupeamus animis plurimum commotis.

Num homines eo quod mendacia narrant, possunt pervenire in claritudinem? Certe! Sed nonnisi tam hilariter, tam phantastice, tam lepide, tam versute mentiri sciunt quam Mynchusanus, qui non mentitus est, ut auditores deruncinaret, sed ut, tamquam narrator fabellarum, oculis coniventibus falleret horas auditorum prorsus assentientium. Vos autem, ne nunc domum veniatis dicentes: «Heus Mamma, modo collocutus sum cum autocinetu, quod dixit cras imbrem casurum esse!» Talibus mendaciis homines non inclarescunt. Ita mentiri ut Mynchusanus vere artificiosum est. Hoc ne cone-  
mini, si perfeceritis pensa vestra mathematica, malitis, quaeso, legere Mynchusani «Mirabilia itinera et pericula marina terrestriaque».

Opto, ut optime oblectemini! ... 



... Haec praefatio sufficiat ad salivam lectoribus movendam! Celeberrima pericula illius Baronis Mynchusani a Nicolao Gross Latine redditia initio anni 2001 in lucem edentur apud domum editoriam Fundationis Melissae.




# NARRATIVNCVLA

A LIVIA VAN HOOF, ALVMNA LOVANIENSI, SCRIPTA

**A**liud esse grammaticae, aliud Latine loqui grammaticus nescio qui iusto olim contendit iure. Hoc ad verbum ut nos studiorum conformemus rationem, alumnis tertii anni et quarti, quotquot philologiae classicae Lovanii dant operam, iniungimus ut intra bienni tempus non solum sententias simplices Latine reddant quot mensibus (id quod ad dicendi leges grammaticorumque praecepta mentibus inculcanda memorisque infigenda haud parum valere sentimus), sed etiam narrationes fere quinas suis usi consiliis Latine conscribant. Hinc enim quantopere a consuetudine sermonis patrii incorrupta distet Latinitas usu discere nobis videntur, hinc et quae Nederlandice cogitata, ea non ad verbum convertere, verum pure et Latine interpretari, ni fallimur, addiscunt, praesertim cum huius aevi res Latinitate donare attemptent. Mirum est ut doctor inde percipiat quos profectus in sermone Latino fecerint iuvenes; de ipsorum natura, indole, ingenio nil dicam, etsi et ea inde saepe solent eminere. Nam solet ipsis concedi ut argumenta, de quibus agant, libere sibi eligant ipsi. Itaque sunt

qui de dissertatione sua academica fusius narrent, sunt qui epistulas ex omni parte fictitias exarent, reperiuntur qui itinerum descriptiones aggrediantur, inveniuntur qui aplogos fabellasve effingant resque vel antiquitus vel his temporibus gestas perscribant; et, quod mirere, reperiuntur interdum quibus eiusmodi pensa domestica tantopere arrideant ut iidem, cum narrationes minimum CCCCL verba complectentes reddere nobis debeant, scriptionis amore correpti, ultra modum eum longe progrederantur itaque tam se quam doctorem suum admodum delectent. In hoc numero sane est Livia Van Hoof alumna quae ineunte hoc anno fabellam venustate praestantem atque eruditione aspersam nobis tradidit. Unum addo: in sententiis simplicibus Latine reddendis dicendi consuetudinibus Caesarianis Tullianisque solent obtemperare alumni; in narrationibus autem conscribendis aliquatenus laxantur, uti ita dicamus, habentae, modo ne Latinitas medium sapiat aevum structurisve syntacticis aevi posterioris verba immisceantur prisca. [Theodoricus Sacré]



Liuia auiae suaue salutem dicit.

Ex fratre meo acceperam te, cum ab illo certior facta essem me tandem domum reuenisse, simul gaudere quod tute reuertissem, simul autem metuere ne tui obliterem essem. Qua de causa litteras ad te scripsi in quibus tibi enarrarem quid proximis mensibus egisset - dubitabam enim annon frater meus cum nuper tiro exercitus Romani in tuam partem Galliae, id est in ciuitatem Eburonum, uenisset, multa de me tibi dixisset - ut tempus dum ipsa ad te uenio breuius tibi uideretur.

Ut penitus omnia intellegere possis, incipiendum mihi est ab eo quod abhinc annos duodecim incidit, cum, ut scis, puella octo annorum apud Sabim flumen proelio militum Romanorum contra Neruios interesse, et quadam de causa e morte eriperer a iuuene ex impedimentis magni illius exercitus. Is, mercator uinarius cui nomen Marcus, ex eo tempore domum nostram interdum ueniebat, matri meae, tuae filiae, semper unctum aliquid adferens. Cum patre de re

publica loqui solebat et effecit ut fratri meo munus illud quo nunc in exercitu Romano fungitur contingeret. Sed ne singula diutius persequar, uere exeunte a me quaesiuit secumne iter suspicere uellem: Romae morem esse iuvenes ante quam uiam uiuendi ingredierentur iter facere; se mihi quoque, etsi femina, etsi prouincialis essem, id faciendum putare; sibique honori ac gaudio fore me secum comitem itineris ducere. Cum omnibus, iam sperantibus me cum Caesare congregandi posse - patri ut sibi de illius in re publica consiliis narrare possem, matri ut sciret uerumne esset illum tam pulchrum esse, fratri ut per illum ad altiore gradum adscenderet - hae a me condiciones dignissimae, verae indicia amicitiae accipienda uiderentur, cumque ego ipsa eadem de causa quam Marcus una cum eo iter facere uellem, constitutum est ut peregre proficiscerer. Discessu rebus mercatoriis maturato mihi non contigit ut ipsa te consularem de hoc meo incepto, sed sciens quod iam scio ego nunc, quodque tu quoque scies hac epistula lecta, non dubito quin meam tibi probatura sim decisionem.

Nam a.d. IV Nonas Maias profecti sumus per Galliam - est permagna ac fecunda haec prouincia qua ille Caesar potitus est! - et Italiam in Graeciam. Ibi quadraginta minimum dies commorati sumus Athenis, quod est caput prouinciae Achaiae, ubi uidimus Parthenon templum paeclarum, magnificum, antiquissimum cui nihil nostris in regionibus comparare possis, ubique Marcus me, dum ipse negotia agit, ad grammaticum ac rhetorem, qui me linguam Graecam docerent, misit. Nam Graeci, etsi Achaia prouincia Romana est, Latine non loquuntur, nec sermone eodem ac nos utuntur: est iis sermo copiosus ac difficillimus, quo poetae autem mira ac pulcherrima dixerunt. Unus ex his Homerus, sine quo Graecia non Graecia. Abhinc annos sescentos, ut coniciunt docti, ille mortuus est, uiuit uero etiam nunc libris suis, et isdem immortalis est. Certo scio nec te, auia carissima, si illius poemata de odio Achillis, ducis fortissimi certantis de arce Ilii (inde Ilias id carmen inscribitur), aut de callidi Ulixis casibus audias, posse facere quin eum laudes amesque. Quoniam ego quoque amore illorum poematorum ardebam, cupui Chium, quod dicunt esse solum natale Homeri, uisere. Ut primum Marco persuasi illius uehementer interesse Chium adire quod uinum egregium ibi facerent, nauem repperimus qua eo ueheremur. Paucis post diebus in terram egressi, cito cognouimus insulam illam non solum τὸν Ποιητὴν ac uinum, sed etiam multa alia habere. Qua de causa diutius ibi permanere statuimus quo magis insulae amoenitate frueremur.

Primum partem quae in septentrionem solem spectat, quamque pae plurimis ac altissimis montibus pauci incolunt, petiuimus. Quadam die, postquam per multas horas processimus, sub uesperum incidimus in pastorem sexaginta circa annos natum qui enitebatur ut haedum sentibus uulneratum in stabulum auferret. Statim operam ei dat Marcus, et ego domum eius adsecuta haedulum magno dolore adfectum curare incipio. Cum doloribus haedi remissis ceteroque grege in stabula coacto multa iam nox sit, pastor gratus δημητρικὴ φιλοξενίᾳ hospitio nos inuitat. Dum edimus, dicimus qui simus, unde ueniamus, quid faciamus in insula Chio. Ille maxime delectari et miro quodam modo subridere, praesertim cum exponamus cur una cum altero iter facere uoluerimus, quantamque laetitiam ex alterius comitatu capiamus. Cenatus tum dicere se quoque aliquid referre uelle. Et narrat historiam Daphnidis et Chloes, pastorum adulescentium, qui, uariis casibus iactati, inscii inter se amabant. Post uenustam hanc fabulam, cubitum imus. Sed dormire, etsi itinere, casibus et uino fessa, non potui (nec potuit Marcus, ut postea cognoui). Mecum cogitare coepi: cur risisset? cur illam ipsam historiam narrauisset?

Postridie ire in meridiem coepimus. Per aliquot

dies non multus sermo. Utrique meditatio de senis uerbis. Neutri cibi cupiditas. Cum Marco loqui desiderabam, uerba uero ut incipere uolui, defugiebant me. Eum intueri concupiscebam, sed uix oculos ad eum aduerteram, cum erubescere me sensi. Haec omnia quoad in partem insulae ubi lentisci paeclarae (nam mastiche candida ex iis profluens non minus denariis denis in libras uenit!) coluntur, peruenimus. Ibi fessi, cum dubiis uelut oestrus stimulati per plurimas noctes somnum capere non potuissemus, quieti nos dare statuimus. Subinde obdormiui. Duabus circiter post horis repente e somno excitor quod animal fremens sub tunicam mouere sentio. Subuenit Marcus, immisit manum in tunicam, aufert cicadam a mamillis meis. Tum demum intellegit uterque nostrum historiam Daphnidis et Chloes nihil differre a nostra. Sed inter nos fateri tunc nondum ausi sumus...

Laetissimo autem animo iter continuamus, iocantes, ridentes, garrientes quicquid in buccam, et paulo post Dascalopetram peruenimus. Id est in locum ipsissimum ubi Homerus poemata sua composuisse traditur. Saepe ibi sedens in saxo (quod lingua Graeca πέτρα appellatur) iuuenes docebat (hoc uerbum Graece διδάσκειν redditur) cum repente diuino quodam spiritu inflatus cantare coepit. Mirum ut nihil noui sub sole memoria nostra: concitant caelesti afflatu etiam nunc Musae poetas a Dascalopetra mare purpureum contemplantes, conueniunt in eundem locum etiam nunc undique iuuenes ad spiritum Poetae experiendum.

Ita factum est ut certo die, cum multo mane in eo loco sedentes auroram spectaremus, Publius quidam nobis obuiam fieret. Is, cum uiticola et mercator uini Hispanici esse uideretur, cito amicitia nos sibi coniunxit. Una cum eo praedia petiuimus quae dicuntur optimum Chium facere, ubi Publius aliquot annis ante ipsum uinum quod Caesar inter triumphi cenam in conuiuia distribueret dictatori emisset. Agnoscit Publius Chius, bene emit Chium Marcus!

Gratia et amicitia impulsus, inuitat eum Marcus domum suam Romam. O auia mea, breuissimum longum iter per mare ad Ostiam! Nam loquax et ad iocandum promptus et Publius et Marcus, qui praeterea et comis et tener.

Nuae ad terram appulsa, cito spectaculo mirabili intersum: nusquam uidi uias tam multas ac latas, nusquam uero commeatus difficilior est. Uidentur ibi consules cum lictoribus, matronae liquidis odoribus perfusae, serui properantes ne domini irascantur sibi sero redeuntibus. Hic adulescens togam praetextam indutus currit in forum, illic turba clientium ad patronum salutandum proficiscitur, illic lectica alta nobilis ut flaminem Dialem consulat in Capitolium transfertur. Et inter hos homines isdemque mixtae,



bestiae omnium generum: gallinae glocientes, equi clamore territi, asini pergere non uolentes.

Iuxta has uias insulae altae, tabernae copiosae, emporia cibi insueti plena, et ubi nec uias nec aedificia, areas, campos nec fora uidere possis. Haec omnia, mercatus habendi loci frequentes, celebres ac tumultuosi, et multa alia sunt Urbs, Roma, Caput Mundi.

Domus Marci sita in eo latere montis Caelii quod est uicinum Portae Capenae. Iuxta aedificia area reperitur in quam conueniunt mercatores fontis illustris causa. Cuius in aqua numen Mercurii inesse credunt ut putent se plus lucri facturos si merces lauro aqua illa madefacta sparsae sint.

Aedes ipsae etsi in media urbe sitae immensae: nam non ut tabernae nostrae unum aut summum duo conclauiu habent, sed complura et magna, quorum unum ad dormiendum, alterum ad hospites accipiendos, tertium ad epulandum ac conuiua habenda adhibetur. In iis epulis plurima primum atque insolita eduntur ut ostreae, tubera et cochleae. Interdum de re publica, de rebus mercatoriis, de pecunia sermo habetur. Deinde, animis multo uino laetioribus, desinunt conuiuae quaerere quid bellicosus Cantaber et Scythes cogitet garriuntque cibum, uinum, puellas. Tum saepe puella arcessitur quae lyra eburna canat. Praeter istam puellam plerumque non intersunt mulieres in conuiuis iis. Ego autem adesse non solum poteram, sed etiam debebam, hoc quia mihi dixit Marcus se nec frui uelle nec posse gaudere ulla re nisi una ego secum essem, illud quia amicis suis dixit se instare ut puella SVA (nam ita me appellabat) Romanorum uitam penitus cognoscere. Quod non doluerunt, ut opinor. Nam persaepe me laudabant omnes quod Latina lingua tam expedite loquerer, quod tam gratam et decoram me paeberem, denique quod tam pulchra essem nec tamen arroganter aut lactanter me gererem. Persaepe quoque me domum suam inuitabat unusquisque eorum dicens se me uitam Romanam «penitus» docturum. Sed ego admonita eorum uerbis ac blanditiis - quae mihi gratae erant Marco praesente, molestae autem illo absente - promittere nolui, praesertim cum tum modo me deuocarent, cum scirent Marcum pae negotiis suis una uenire non posse.

Malui igitur Marcum prosequi. Itaque factum est ut exeunte mense Nouembri - qui mensis post quam Caesar inconstantiae temporum (nam sacerdotes, ut scis, anni dies tunc protulerant, tunc imminuerant ut confusio emersisset magna) finem fecit, September fuisse uisus est - quodam die iam in forum peruenissemus cum permagnam uidimus et uariam in unum solum spectantem turbam - sententias eorum is flectit uelut uentus cum folia aufert: sulleuat omnia, uersat, torquet, uolutat, eadem postremo deponit ubi sibi uidetur.

Ita et ille, quem non uidere, nec tamen fugere posses: Marcus Tullius Cicero, orator unus omnium disertissimus. Ab ipso Caesare illo die uitam deprecabatur Ligarii cuiusdam, qui in Africa contra eundem arma sumpserat, et impetravit.

Extremo mense Ianuario misit ad nos Publius, qui interim in Hispaniam reuerterat, ut se domi suae uisitaremus et orationem Ciceronis Ligarianam nobiscum adferremus. Gaium enim Oppium et Lucium Cornelium Balbum, amicos et ministros Caesaris, ad se uenisse ut uinum imperatori suo (qui id temporis in Hispania arma contra Sextum Pompeium et T. Labienum cepерat) emerent, et inter alia dixisse maxime placere Caesari Ciceronis Ligarianam quam ipsi quoque mirifice probarent. Subiecit Publius sibi in mentem uenisse e duabus simul se rebus laetitiam capere posse si ad translationem illius oratiunculae opera nostra uteretur. Nam ita se et nos uisurum et donum ad Caesarem daturum pro crebris exemptionibus.

Cum peregrinantes in Hispania simul ἐκ φίλων συνουσίας gaudium capere, simul Publio gratias agere pro Chio bene empto, simul mercaturam facere, simul prouinciam illam cognoscere, simul et una esse possemus, id facere statuimus; nec nos piguit. Nam ex his omnibus gaudium cepimus, imprimis autem ex ultimo, id est cum una essemus, quo nihil nobis gratius. Causa enim cur Marcus me olim ab interitu uindicauerit, causa cur semper domum nostram uenerit et quare mecum iter facere uoluerit, est una sola. Confiteor eandem fuisse quae me impelleret ut comes eius peregre proficiscerer, ut Romae mallem Marcum prosequi pottus quam in domos amicorum solam me conferre. Et est haec sola causa cur Marco cum per Galliam domum redire incepimus roganti placuisse mihi iter quod una fecissemus responderim: «Ubi tu Gaius, ego Gaia». Omnia, ut opinor, iam intellexisti: AMOR causa omnium. Amor nos congregauit, amor nos continet, amor mox nos coniunget. Nam ita est: a.d. IV Nonas Maias, anno uno post initium itineris, Marcus me uxorem ducet. Quo die te quoque adesse uelim, sed haud sum ignara te pae mala ualetudine facere non posse ut uenias.

Quam ob rem has litteras ad te scripsi ut scires quid per totum annum fecissem, quidve proximo tempore factura essem, cum propter secundas has res subito uenire non possem. Ita «locuta sum tecum absens, quo mihi, cum coram id non licet, nihil est iucundius». Sed promitto me uenturam ut primum potero ... una cum Marco, partim ut tu quoque illum cognoscas, partim quod... sine eo uiuere non iam possum...

Uale. Parentes mei tibi salutem plurimam dicunt. Uale atque etiam uale. A.d. III Non. Apr. anno DCCVIII aVC. ☯

# DE VENENIS BREVIS HISTORIA (III)

CONSCRIPTA A GAIO LICOPPE

**THEA** uti homines verisimiliter iam temporibus praehistoricis in Sinis incohaverunt. Videtur tamen diu solum fuisse remedium tonoticum.

IV saeculo p.C.n. potio theana delectationis causa sumi coepta est. Eodem tempore Sinenses arbusculam theam colere incepert, sed modus potionis parandae nondum idem erat ac nunc est. Folia enim theae vapore emolliebantur, deinde in mortario terebantur. Haec massa cum oryza, lacte, sale, zingibere et aranciorum corticibus commiscebatur et postea coquebatur. Hic parandi modus adhuc viget in Tibeto, Mongolia et Indosinis, sed in Sinis, imperante stirpe T'ang (618-907), mutari coepta est. Poeta Lu Yu magnum opus imaginibus illustratum c.t. Ch'a-King compositum totum theae dicatum.

Tempore stirpis Soung (960-1279) aucta est theae veneratio. Tunc potio ex solis theae foliis conficiebatur. Eo tempore Sinenses etiam conati sunt novas theae species suscitare. Ipse imperator Hui-Tsung (1101-1126) tractatum conscripsit de viginti theae speciebus. Buddhistarum secta Zen, frequens in Sinis meridionalibus, culturae ususque theae maximam habet curam.

Medio XV saeculo, imperante stirpe Ming (1368-1644), potio theana tandem parata est ut adhuc fit: aqua fervens infunditur supra theae folia in poculo posita.

Buddhistae thea praesertim ad vigilandum utuntur, ut patet e fabula laponica, secundum quam theae sorbitio instituta est a sectae Zen conditore, sancto Indo Bodhidharma (sive Ta-Mo lingua Sinensi; Daruna lingua laponica). Qui missionarius Buddhista, ut in fabula narratur, ex India profectus in Sinas anno 520 pervenit Buddhisticam religionem praedicaturus. Ibi, postquam Caeruleum Flumen (Yangzi Jiang) arundine sustentatus transiit, novem annos sub rupina quadam mansit, ubi vigilando et ieunando tetendit ad summam perfectionem humanam. Accidit tamen, ut somno victus obdormisceret. Cum iratus propter suam infirmitatem palpebras sibi execuisset easque in solum proiecisset, miraculum factum est: e singulis palpebris orta est theae arbuscula! Ascetes tunc arbusculae folia gustavit et statim se sentit roboratum et lassitudine liberatum...

Iapones potionem theanam tantum octavo saeculo invenerunt. Buddhistae sacerdotes nono saeculo theae semina e Sinis apportaverunt in Iaponiam. Theae caerimonia, qualis adhuc in Iaponia viget, originem dicit a ritu sectae Zen in Sinis meridionalibus; cuius enim sectae asseclae ritu intricato congregari solebant ante conditoris imaginem, ut theam una biberent ex uno communis poculo.



*Missionarius Buddhista, cum ex India in Sinas advenit praedicaturus, Caeruleum Flumen transiit arundine sustentatus.*

A XVI saeculo usus theae latius diffundi coepitus est, imprimis in Russiam, paulo post in Persiam. In Europam solum pervenit XVII saeculo, post societas mercatorias ad Orientem spectantes in regno Britannico (1600) et in Hollandia (1602) conditas.

Thea in Europa primum satis exacte describitur in libro Iacobi Breyn Gedani (v. Gdansk) anno 1678 edito, cui titulus est «Exoticarum aliarumque minus cognitarum plantarum centuria prima»; melius postea a Germano medico Engelberto Kaempfer in libro anno 1712 edito, cui titulus est «Amoenitatum exoticarum politico-physico-medicarum fasciculi quinque».

Saeculo XIX Angli in suas colonias Indicas et Nederlandi in suas Indonesianas theae culturam importaverunt, quae prosperrime successit, praecipue in insulis Taprobanae (v. Ceylan), Iavae et Sumatrae. Eodem saeculo Russi theam in Caucaso colere coeperunt.

In thea, sicut in cafea, substantia chemica, cuius effectum homines exquirunt, est alcaloidum caffeineum (coffeinum in Lexico Medico Polonico<sup>1</sup>) nominatum.

Exeunte XV saeculo nova ingensque continens ab Europaeis invenitur, quam vocant Americam. Ibi nascuntur plantae in Vetere Continente omnino absentes. Indigenae, quos Indianos vocare solemus, multarum plantarum vires effectusque optime detegere valuerant. Inter has plantas nonnullas adhibebant propter effectum psychotropicum, id quod Europaei sine mora imitati sunt. Usus unius ex eis, quam tabacum vocamus, per totum orbem terrarum diffusus est. Tabacum nostris temporibus tanti momenti factum est, ut statuerim symbolam proximi Melissae fasciculi ei praecipue tribuere.

**CACAO** est aliud Americae donum; hoc nomen Hispani ab Aztecorum vocabulo «cacahuatl» deduxerunt. Azteci enim, tempore quo Ferdinandus Cortez Mexicum redegit in Hispaniae dicionem, pomum «cacahuatl» escam maxime corporativam ducebant; in eorum religione pulcherrimum pomum erat in toto paradiiso.

Hoc pomum dignitur in arbuscula «Theobroma cacao» a botanicis vocata, cuius cultura ex America meridionali in Mexicum importata est. Nam repertum est hanc arbusculam ex Amazonia et regione fluvii Orenoci oriundam esse.

Potio autem, quam sibi parabant Azteci, parum sapida videbatur advenis Hispanis. Quare Europaei mutaverunt parandi modum: pomi grana contrita fiunt pulvis et butyrum cacaonis, unde fabricatur socolata sive liquida sive solida et in toto orbe terrarum magni aestimata. Ad hanc novam rem designandam Hispani exeunte saeculo XVI vocabulum «chocolatl» adhibebant, quod postea «chocolate» factum est; qualis tamen origo sit huic vocabulo, non constat.

Alcaloidum principale, quod chemici in cacaone invenerunt, est theobrominum; etiam inest minima portio cafeini. Quamquam theobromini formula chemica proxima est cafeino, quod inest cafeae et theae, tamen effectum vix habet in systema nervosum; in sanguinis tamen circulationem eundem effectum habet ac caffeineum.



**COCA** cuius nomen originem trahit e lingua Indianorum Aymara, in Europa serius innotuit. Certe Hispani eam iam XV saeculo invenerant in America centrali, ut patet e relatione sacerdotis Thomae Ortiz anno 1499 divulgata. Postea ab anno 1533 Franciscus Pizarro, dum Incarum imperium subigit, in Montibus Andinis cocae culturam vidit.



Est arbuscula quam botanici «Erythroxylon Coca» vocaverunt propria quod corticem rubrum habet. Solum coli potest in regionibus, ubi aeris temperatura exiguis finibus continetur, i.e. inter 15 et 20 gradus Celsii; crebrae pluviae etiam ei sunt necessariae.

Indiani eius folia adhibent hoc modo: cocae folia masticando globulum imprimis faciunt, in quem deinde calcem vivam spathula inserunt; re hoc modo ad usum parata, globulum diu masticant,

unde fit ut fames et lassitudo evanescant.

Cocae effectus ab Hispanis bene noti erant, qui eam suppeditarent Indianis in fodinis laborare coactis, ut legitur in maximo opere De Historia Peruviae a Garcilaso de la Vega anno 1608 in lucem edito.

Tandem, exeunte saeculo XVIII, nonnullae arbusculae e Bolivia in Europam allatae sunt, quas botanici primum describere et nominare potuerunt.

Saeculo XIX Germanus medicus nomine Pöppig in opere anno 1838 divulgato, cui titulus est «Iter per Chiliam, Peruviam et Amazoniam ab anno 1827 in annum 1832», primus monet de damnis socialibus et physicis e cocae usu contractis, cum observaverit indigenas cocae addicatos ab Hispanis «coqueros» vocatos.

Circa annum 1860 Germanus chemista Albertus Niemann efficiens alcaloidum e cocae foliis extrahere valuit idque cocaineum nominavit. Eodem tempore «extractum cocae liquidum» in usum medicum venit. Sigismundus Freud (1856-1939), qui pater psychanalysis dicitur, thesin «de Coca» anno 1884 divulgavit, qua multum contribuit ad cocainei usum dilatandum. Ibi enim monebat de effectu anaesthetico cocainei. Ophthalmologi primi hunc effectum optimo cum successu experti sunt, sed inde praesertim orta est anaesthesia localis, quae dicitur et quae maximae utilitatis nunc est in permultis curis medicis.



*Hoc Peruviano simulacro fingitur vir cum instrumentis ad cocae usum necessariis: sacculus scutulatus, quo cocae folia continentur, cincturae suspensus est; sinistra manu tenet vasculum cum calce viva et dextra spathulam.*

**MATE** nomen dicit ex vocabulo «mate» vel «mati» Indianorum Quicha Americae meridionalis. Quo vocabulo imprimis nuncupatur genus cucurbitarum Americanarum, quibus indigenae vasa conficiunt, et sensu translato arbor, cuius folia adhibentur ad potionem in his vasis parandam.

«Ilex Paraguayensis» et «Ilex Mate» sunt nomina quae botanici duobus huius arboris generibus dederunt; etiam vocatur «Yerba mate» ab incolis Americae meridionalis, qui eius foliis potionem excitatoriam instar theae vel cafeae sibi parant hoc modo: aqua fervida in folia exsiccata et in pulverem redacta infunditur, unde fit potio aromatica, amara et styptica, quae cognominatur «lesuitarum thea». Re vera maior cafeini proportio inest quam in thea vel cafea.

**PEYOTL** diu vix notum erat in Europa, id quod iam patet ex immutata forma Azteca nominis. Secundum botanicorum terminologiam est genus «echinocacti» quod in Mexico crescit.

Huius plantae extractum primus videtur adhibuisse Americanus medicus Langry, anno 1889, ad cor debilitatum firmandum. Anno 1896 chemicus Hefter alcaloidum actuosum extrahere valuit quod vocavit «mescalimum». Anno 1910 hoc alcaloidum synthesi chemica factum est.

Post alterum bellum mundanum soli psychiatri conati sunt graves morbos psychicos mescalino sanare, sed frustra. Peyotl hodie iam nullum habet usum medicum. ☈

(continuabitur)

<sup>1</sup> B. ZLOTNICKI, *Lexicon medicum*, Varsaviae, Polish Medical Publishers, 1971 p. 164.

## ADNOTATIO LEXICOGRAPHICA

A ROBERTO DEPREZ PROPOSITA

In symbola c.t. *De pronuntiatu linguae Latinae* (Melissa 98 p. 16), Francisca inducit adiectivum quod est *surrealisticus*. Sed in *Lexico Recensis Latinitatis Vaticano* verbum Italicum *surrealismo* redditur verbo, quod est *superrealismus*, -i. Hac de causa conatus sum paulo plus inquirere de significatione illius verbi; significatio enim primaria, ut scitis, pertinet ad genus artis, praecipue picturae poeseosque, post primum bellum mundanum natum. Prima opinione facile putaremus artem illam esse *subrealisticam*, ut Francisca scripsit, nam res irreales, vel potius realitati repugnantes, repraesentat; sed, si bene intellexi, ita non est. E contrario, in mente artificum illorum, realitas ab artifice percepta (sed etiam nonnumquam realitas mere onirica) superponitur realitati obiectivae, qualem homines communes eam percipere possunt; itaque ars illa *superrealistica* potius quam *subrealistica* dicenda est. Sed deliberandum est, utrum adiectivum hoc adhuc bene conveniat ad significationem derivatam (i.e. non iam stricte «artisticam») exprimendam. Fortasse aliud adiectivum fingendum esset, velut *suprarealisticus* vel *disrealisticus*? Sententia mea *praeterrealisticus* rem bene exprimeret, sed, nisi fallor, in Latinitate classica *praeter* cum verbis tantum temporalibus, numquam cum adiectivis, componitur. ☈



# DE AEVO CAROLI QVINTI

SIMPPLICISSIME NARRAT FRANCISCA DERAEDT

**Q**uis vult esse imperator? Gratias, non. Spectate Caroli Quinti effigies: pueritia tristis, oppressa, laboriosa, et circumcirca aulici, consiliarii, boni et mali suasores, denique onera, molestiae, acerbitates, haec omnia conspicuntur in eius facie immobili. In hoc tamen felix fuit: mundum rexit eo tempore, quo omnis rei scientia inaudito modo augebatur.

In hac re Carolus certe est in prima acie: praceptorum habet Erasmum, Mercatorem compluries convenit, sibi medicum eligit Vesalium, quoquaversus peregrinatur, scientificis aliisque doctis favet.

Qualia tempora! Qualis mentium fervor! Nicolaus Copernicus (1473-1543) mundum ostendit heliocentricum, Mercator (1512-1594) chartas geographicas pingit, Andreas Vesalius (1514-1564) humanam anatomiam describit, Leonardus Fuchs (1501-1566) botanicam renovat, Paracelsus (1493-1541) scientiae pharmaceuticae dat chemica fundamenta, Erasmus (1469-1536) adiuvante Hieronymo Busleyden (ca.1470-1517) Lovanii condit Collegium Trilingue.

Non fortuito haec omnia una fiunt. Quia nostris temporibus scientiae longe absunt a studiis litterariis, non facile imaginamur eas antea arte fuisse coniunctas. Omnes enim scientiae pertinebant ad studia humanistica. Sine his studiis et sine antiquorum investigatione, multi progressus verisimiliter non essent facti.

Humanistae, exempli gratia, redinveniunt opera geographi Ptolemaei (II saec. p.C.n.). Sed mappae geographicae desunt. Geographi, inter quos Mercator (cognominatus «novus Ptolemaeus»), textu nixi chartas delineant.

Reperta sunt similiter opera Galeni (II saec. p.C.n.), qui fuit medicus Marci Aurelii. Galenus, contra empiricos et dogmaticos, profitebatur medicinam pendere a bona corporis humani notitia. Ipse simios libenter dissecabat, cum humana cadavera tractare non liceret. Vesalius exemplum secutus corpora inspexit eorum, qui erant capitidis damnati.

Multi herbarii etiam plantas delineaverunt, quarum virtutes medicinales antiquitus descriptae erant a Plinio, Galeno et Dioscoride (I saec. p.C.n.).

Item astrolabium a Mercatore confectum est

secundum imaginem mundi, qualem Ptolemaeus excogitaverat.

Haec omnia inter homines doctos eo facilius communicabantur, quod ipsi multa itinera faciebant atque inter se convenire poterant. Insper unum inventum in hac re fuit maximi momenti: typographiam dico, sine qua humanistarum labor vix fuisse cogitabilis.


Re vera non solum litterae classicae, sed etiam omnes scientiae multum debent illi tempori, cum Carolus Quintus imperium regebat, ubi sol numquam occidebat...

Tempore quo has lineas legetis, infeliciter iam finita erit exhibitio, qua Lovanii de hoc arguento ostenduntur muti libri et imagines et instrumenta; sed superest pulcherrimus liber, quem Nederlandice legentibus plurimum commendamus<sup>1</sup>.



Vesalii *descriptio quaedam anatomica, tam pulchra quam statua antiqua (De humani corporis fabrica, 1543)*.

<sup>1</sup> G. VANPAEMEL, T. PADMOS (red.), *Wereldwijs. Wetenschappers rond keizer Karel, Leuven, Davidsfonds, 2000, 167 pp. ISBN 90-5826-030-5.*



## DE NOVIS LIBRIS

## Isidorus versifex

Inter innumera Divi Isidori Hispalensis episcopi (560?-636) scripta saeculis volventibus illa profecto magis innotuerunt quae veluti summam totius eius aetatis scientiae immanem praebent thesaurum doctrinae philologiae historiae theologiae latissime patentem studiosisque perpetuo perpendendum. Etenim haud immerito inter veterum aetatem et "medium" quod posteri nuncuparunt aevum Europae quae ad solis occasum spectant partibus cardinis instar exstitit Isidorus ille: quod tamen aevum principium evasit et fundamentum quo omnis humanitas atque qui ad nos usque supervixit civilis cultus inniti valuit. Neque igitur mirum quod Isidorus, quum ipse anno 633 quartae praefuisset Synodo Toletanae omnium celeberrimae, viginti annis post inter septimam Toletanam Synodus *Doctor egregius, Ecclesiae catholicae novissimum decus est renuntiatus.*

Versiculos quoque Isidorum inter otia (ut animo fangi non est absonum) vel tempora subsiciva condidisse non nimis vulgatum neque notum, ne inter philologos quidem, perfecta nunc a JOSEPHO M. SANCTIO MARTINO viginti septem eiusdem poematiorum editione, summisque curis in lucem prolata<sup>1</sup>, nemini latere iam decet. Est autem nova haec editio prima post annum 1913 facta, prodiitque duobus fere saeculis post quam Faustinus ille Arevalo omnia Isidori opera ad criticam artis rationem primum exacta Romae edidit (a. 1797)<sup>2</sup>. Duos hic codices manu scriptos in primis ad textum Isidori constituendum adhibuerat; Sanctianum vero opus mirum in modum plus quam quadraginta codicibus innititur (duabus ut videtur stirpibus disponendis) singillatim undique collatis accuratissimeque perspectis descriptis tractatis<sup>3</sup>. Patet ergo hac nova editione JOSEPHUM M. SANCTIUM MARTINUM his studiis novum prorsus idque solidissimum in futura tempora posuisse fundamentum.

Ipsi autem versiculi magnam partem tituli fuisse videntur, bibliothecae Hispalensis pegmatibus affixi vel appositi<sup>4</sup>, praeter unum vel alterum quem scriptorio vel pigmentario, quod vocabant, esse destinatum veri non est dissimile.

Exemplo sint haec:

*Permultos libros gestant haec scrinia nostra,  
qui cupis ecce lege si tua vota libent.  
Tolle hic segnitem, pone fastidia mentis.  
Crede mihi frater, doctior inde redis.<sup>5</sup>*

et:

*Hic odorata iacent hic spirant cinnama tura,  
quaeque serunt Seres quaeque Sabaea feret.<sup>6</sup>*

et:

*Qui vagus hic fuerit media librarius hora  
suspensus binis ferietur terga flagellis.<sup>7</sup>*

Patet enimvero Isidorum hortulos suos ex variis fontibus antiquis irrigavisse, inter quos praeter poetas christianos Martialis in primis poeta est nominandus<sup>8</sup>. Resecuit, transposuit, commutavit, conglutinavit quidquid ex aliorum versibus in proprium usum adduci posse videretur, et hoc modo plerumque ex aliorum farina novum prorsus sibique proprium panem concoxit Isidorus. In quas autem quaestiones editor sedulo artisque praecepta secutus inquirit<sup>9</sup>. Indicibus autem fontium, codicum, lemmatum et formarum convenienter additis hoc mirificum opus ad finem aptissime perducitur<sup>10</sup>.

VOLFGANGUS JENNIGES

<sup>1</sup> SÁNCHEZ MARTÍN (JOSÉ MARÍA), ED., *Isidori Hispalensis Versus (Corpus Christianorum Series Latina CXIII A)*, Turnhout, Brepols, 2000, 274+(2) pp. ISBN 2-503-01133-0 sive 2-503-01134-9. Opus Hispanice maximam partem conscriptum.

<sup>2</sup> Quae editio in informe illud horreum patristicum, a J.P. Migne compositum, est relata.

<sup>3</sup> Cf. *Estudio crítico*, p. 103-185.

<sup>4</sup> Cf. p. 19-21.

<sup>5</sup> Cf. p. 211, tit. I "Titulus bibliothecae". Vide etiam p. 236-237 *Comentario*, ubi de rebus quoque metricis necessario refertur. Ceterum de usu loquendi et genere scribendi *Versuum Isidori ea conferantur quae p. 74-91 (Estudio literario c. 2) fusius disseruntur.*

<sup>6</sup> Cf. p. 231, tit. XX. Vide etiam p. 248 *Comentario*.

<sup>7</sup> Cf. p. 235, tit. XXVI. Vide etiam p. 249 *Comentario*. Commentarius autem hic philologicus, post ipsos titulos cum apparatu qui dicitur critico accuratissime editos (p. 207-235), p. 236-250 perutiliter est additus. Singulis insuper titulis, licet sat simplici sint et humili Latinitate compositi, versio additur Hispanica in adversa pagina adposita.

<sup>8</sup> Quod autem ad fontes attinet, editor perbene monet (p. 38) nonnullos directo, alios, quod consentaneum videtur, per ambages ab Isidoro esse repertos et assumptos, difficiliusque nonnumquam inter ambo fontium genera distingui.

<sup>9</sup> Cf. *Estudio literario* c. 1, p. 37-74.

<sup>10</sup> Cf. p. 253-272.



**H. Nikitinski, De eloquentia Latina saec. XVII et XVIII dialogus, Napoli, Vivarium, 2000, 247 pp.  
ISBN 88-85239-45-5.**

Nemo nobis credit hunc librum esse anno bis millesimo conscriptum; editor procul dubio sive errorem fecit sive nos ludere voluit annum indicans 2000, non 1673 aut 1729! Tamen ita est, optime lector: hoc opus singulari eloquentia exaratum - nonne videtur esse quoddam additamentum dialogi Erasmiani c.t. Ciceronianus? - hoc opus debemus, mirum in modum, cuidam humanistae nostri temporis. Admiraberis non solum scribendi modum, sed etiam eruditionem eximiam. In hoc conspectu Latinorum auctorum, qui saec. XVII et XVIII floruerunt, plurimum laudamus quod auctor lectoribus multos locos praebet excerptos ex illis operibus, quae non tam facile inveniuntur in bibliothecis. Etsi dialogi collocutoribus (i.e. auctori?) non assentimur de omnibus sententiis, imprimis exclusive colendam esse stili sublimitatem, cetera despicienda. Hunc in modum respuenda essent innumera opera, quae usque ad nostra tempora linguam Latinam fecerunt nostri cultus civilis commune vinculum... nec solum ea, sed etiam multa ipsius antiquitatis monumentalia!

vivarium@geos.it

**Duo opera antiqua discipulis destinata**

**Petronii Cena Trimalchionis a Iohanne H. ØRBERG edita, Grenaa, Domus Latina, 2000, 64 pp. ISBN 87-90696-04-2.**

**Plauti Amphitryo a Iohanne H. ØRBERG editus, Grenaa, Domus Latina, 1998, 84 pp. ISBN 87-997016-7-7.**

In his foliis iam compluries, et iure et merito vehementer, laudata est methodus a Iohanne H. Ørberg excogitata. Qui eodem consilio discipulis et magistris totius orbis terrarum etiam proponit haec antiqua opera multis explicationibus sic ornata, ut ne unum quidem verbum ullius linguae vernaculae adhibeat: omnia sive aliis verbis Latinis, sive delineamentis perlucide sunt enodata. De auctoribus et (apud Plautum) de theatro Romano arteque metrica sunt etiam explications. Adde quod, etiamsi nulla invenitur versio moderna, tamen non deest index vocabulorum. Duo libri omnibus magistris omnino necessarii.

Domus Latina, Skovvangen, 7, DK-8500 Grenaa.

**Th. STORM, In St. Jürgen, fabula in Latinum conversa a Rocho Habitzky, Leichlingen, Domus editoria Rainardi Brune, 2000, 64 pp. ISBN 3-924785-21-X**

Rainardi Brune Bibliotheca Neolatina iterum locupletatur fabula a Theodorico Storm saeculo undevicesimo Theodisce exarata, nunc in Latinum feliciter conversa omnibusque sic accessibilis, qui Theodiscam linguam non legunt. Huius seriei editor, qui semper fuit et est Latinitatis fautor, in hoc libro edendo non solum linguae Latinae amorem, sed etiam liberalitatem ostendit: scitote enim accepta ex hac editione exspectata dicatum iri infantium nosocomio in Estonica urbe Tallinn.

Domus editoria Rainardi Brune, Immigratherstrasse, 40, D-42799 Leichlingen.

**Dantis ALAGHERII Inferni carmen I totum, carmen XXVI 112-142 (de Ulixis oratione), in Latinum convertit Marius Antonelli, Caprino Veronese, 2000, 23 pp.**

In alienam linguam carmina vertere est exercitatio maxime periculosa; ad quod periculum superandum auctor huius libelli optime elegit formam hexametrorum, qua servatur originalis operis nobilitas. Marius Antonelli, ut Victorius Ciarrocchi scribit in sua praefatione, hos versus "non modo omnibus Latinitatis veneribus ornavit, verum etiam Italicos versus ita mutavit Latine, ut unicuique Dantis tristicho bini hexametri responderent: quod difficillimum est idcirco valde admirandum."

Prof. M. Antonelli, Piazza Unità d'Italia, 7/A, I-37013 Caprino Veronese.

**Hoc praedicat sol oriens. Hymni oecumenici in Latinum versi ab Anna Elissa Radke, Mainz, Septimana Latina Amoeneburgensis et L.V.P.A, 2000, 24 pp.**

Ii multi, qui libenter cantare solent et quaerunt cantica Latina, gaudebunt quod nunc etiam proponuntur hymni oecumenici a poetria Anna Elissa Radke pulcherrime versi.

Prof. Sallmann, Hermann-Hesse-Strasse, 110, D-55127 Mainz-Lerchenberg.

**Non sunt libri**, sed paene, cum agatur de "paginis" novorum temporum; nuntiantur enim hi duo novi situs interretiales:

[http://pagina.de/pugna-in-saltu-Teutoburgensi facta](http://pagina.de/pugna-in-saltu-Teutoburgensi-facta) - in qua Thomas Fuchs divulgat libellum a se conscriptum de supradicta pugna

<http://www.vivariumnovum.it> - situs academiae c.n. Vivarium Novum, nondum omnino perfectus, ac in quo speramus fore ut plura Latine quam Italice proponantur.



# Latine loqui ...

## SEMINARIVM LATINITATIS VIVAE

Seminaria Societatis Latinae sunt prima huius generis, quae inde ab anno 1973 instituebantur. Moderatores sunt Dr P.C. Eichenseer, Latinitatis omnium aetatum vere peritus, et D.rix S. Albert, quae tirones delectabiliter diligenterque in consuetudinem Latine loquendi inducit ac textus Latinos (sed plerumque humanisticos et posthumanisticos) legit, interpretatur atque de iisdem colloquia instituit.

Duo seminaria anno 2001 instituentur:

- Morsaci (Morschach) in Helvetia: **22-28 m. Iulii a. 2001**

Qui plura scire volunt scribant ad Societatem Latinam, Universität, FR 6.3, D-66041 Saarbrücken  
(s.albert@rz.uni-sb.de)

- in Belgica in abbatia Maredsolana: **4-11 m. Augusti a. 2001**

Qui plura scire volunt scribant ad: Gaium Licoppe, Avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles  
(guy.licoppe@pophost.eunet.be)

## SEMINARIVM OPOLIENSE

**14-21 m. Iulii a. 2001** fiet in Silesia, in pulcherrimo castello quod continet Sanctuarium Sancti Hyacinthi et Centrum Scientificum Universitatis Opoliensis. Thēma huius anni erit de Silesia imbuta humanismo Europae.

Qui plura scire cupiunt scribant ad Ingam Pessarra-Grimm, Nordstrasse, 39, D-59174 Kamen  
(ipg@surfeu.de)

## FERIAE LATINAЕ

Media in Provincia, in abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, loco amoenissimo et quietissimo, **a die 27 m. Iulii ad diem 3 m. Augusti** fient feriae aestivae inter quas lingua Latina sit sermo participum communis. Quae Feriae Latinae a P. Suitberto Siedl anno 1982 sub auspiciis Operis Fundati c.n. Latinitas sunt conditae. Invitantur non solum professores et docentes et studentes, sed etiam tirones et homines cuiuscumque muneris, utpote qui cupiant, cum aliis sodalibus e variis nationibus oriundis, Latine sermocinari, studere, ludere, immo, vivere.

Qui plura scire volunt scribant ad Iohannem Claudium Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières, vel Clementem Desessard, Rés. des Collines, C9, 500, rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu

## CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Permultis linguae Latinae cultoribus non solum Americae Septentrionalis regiones, verum alias etiam orbis terrarum partes habitantibus iam innotuerunt conventicula Latine loquentium, quae Lexingtoniae in civitate Kentukia quotannis celebrantur. Conventiculum **anno bis millesimo primo a mensis Iulii die vicesimo usque ad tricesimum agitabitur.**

Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. Id tantum in ipsis sessionibus agetur ut socii facultate Latine dicendi, audiendi, intellegendi assuefiant.

Qui plura scire volunt scribant ad:

Professorem Terentium Tunberg, CLATOT@POP.UKY.EDU

## CONVENTICVLVM RVSTICVM VASINTONIENSE

habebitur mense Iunio anni 2001 in urbe Vasintonensi Wenatchee, cui nomen Latinum est Aquae Aliae **de die 23. mensis Iunii usque ad diem 1. Iulii.**

Moderabuntur Terentius Tunberg, professor studiorum classicorum apud Studiorum Vniversitatem Kentuckiae Lexingtonensem, Stephanus Berard, professor linguarum apud Studiorum Collegium Vallis Aqualbensis, Iacobus Dobreff, moderator veteranus Conventiculorum Lexingtoniensium.

Hoc Conventiculum Rusticum erit optima occasio sermonem Latinum vivo modo exercitandi, nam singulis fere diebus excursio didascalica ambulatoria fiet in qua non solum licebit participibus sermones sponte conserere sed etiam omnia quae viderint sermone Latino, moderatoribus adiuvantibus, fuse describere: arbores et plantas, montes et moles glaciales, fluvios, animalia, aves, insecta, caelum et alia multa. Inprimis placebit huiusmodi conventiculum eis quibus cordi sint amoenitates locorum quique ament amice garrientes, linguae peritiam meliorem facientes silvas montesque et alia loca rustica perlustrare.

Qui plura scire volunt scribant ad: Professorem Stephen A. Berard, Department of World Languages, Wenatchee Valley College, 1300 Fifth Street Wenatchee, WA 98801 (sberard@wvcmail.ctc.edu)